

3. INCIPIT INUENTIO CUM TRANSLATIONE SANCTI RAGENERII
MILITIS ET MARTIRIS, CONSANGUINEI SANCTI EADMUNDI
REGIS ET MARTIRIS².

Temporibus deo dilecti Regis Anglorum Edwardi filii Ethelredi regis erat quidam uenerabilis uite sacerdos Bruningus nomine apud Northamtonam. Qui inter multas quas intra prouinciam regebat ecclesias, etiam ecclesie beati Petri apostoli que in eadem urbe sita est prefuit. Erat 35 namque presbiter iste diues ualde multisque possessionibus clarus, dapsilis quoque liberaliter et largitate tam celebris ut omnes facultates eius in usus pauperum et egenorum, transeuncium quoque hospitem et maxime peregrinorum, iugiter et hilariter expendere delectaretur, iuxta illud sapientis : 'Hilarem enim datorem diligit deus.' Cum igitur in tantum pietatis 40 operibus insisteret ut et apud deum acceptus et apud homines clarus et

¹ MS. deuota.

² Nothing is known elsewhere of this St. Ragenere.

insignis haberetur: uisum est spiritui sancto tempus illius et templum pre-
 fatum sancti Petri, cui speciali cura preerat, celestibus illustrare miraculis,
 et beatissimi Ragenarii martiris reliquias, qui in eiusdem ecclesie pau-
 mento humatus iacebat, multis reuelare mortalibus. Quod qualiter factum
 5 sit, sequens sermo declarabit. Predictus itaque presbiter inter quam-
 plurimos seruos suos vnum habebat Norweganum genere, mire simplici-
 tatis et patientie uirum. Huic uenit aliquando in mentem ut orandi
 gracia pergeret Romam, et sanctum Petrum requireret, quem speciali
 deuotione propria et natiua lingua suum 'drotinum,' id est dominum,
 10 uocabat. Petiuit ergo a domino suo licenciam eundi; set quia necessarius
 et utilis ei erat, quod petebat impetrare non poterat. Plures quoque, qui
 eum nouerant, nimiam eius simplicitatem irridebant, et illius petitionem
 ex quadam stolidi rusticitate, quam ex discreta deuotione descendere
 dicebant. Inter hec perstat ille in precibus, et se nullo modo remanere
 15 posse constantissime testabatur. Tandem dominus eius, communicato
 cum amicis consilio, annuit eidem quod petebat. Accepta igitur licencia,
 letus arripit iter, et cum omni alacritate properat. Iam uero confectis
 aliquot in itinere diebus: quadam nocte quiescenti astitit ei per uisionem
 quedam uenerabilis persona, hortans eum et sedulo monens ut absque
 20 omni dilatione domum redeat; dicens quod ibi dominum suum quem
 querere uolebat absque ulla cunctatione reperturus esset. Qui si redire
 nollet, sciret sibi peregrinationem illam prosperam non esse futuram.
 Euigilans autem et uisionem mente reuoluens, nichilominus cepto itinere
 pergebat. Sequenti quoque nocte repetita uisione, seuerius ut rediret,
 25 ammonitus est; et nec sic quidem adquiescere uoluit, desiderii uidelicet
 magnitudine victus. Tunc deinde paucis interpositis diebus cum se
 sopori dedisset, astat eadem uenerabilis persona que prius illi apparuerat,
 arguens et multum increpans eum quare prioribus uisionibus incredulus
 et inobediens exitisset; addiditque quia nisi iam maturius ad dominum
 30 suum redeat, grauissima mox pena plectendus fuisset. Mox igitur a
 sompno surgens et tam minacibus uerbis quam celesti uisione perterritus:
 nichil amplius hesitans ad¹ dominum suum redire properauit. Cum autem
 reuersus fuisset, tam dominus eius quam cuncti qui prius eum nouerant
 et illius peregrinationem stulticie deputauerant, iam multo certius eum
 35 stultum esse credebant et dicebant, illudentes ei quod tam insipienter
 accepta peregrinatione rediisset. Quesitus tamen quare sic redire uoluerit,
 ille modum et ordinem trium uisionum exponit, in eodem loco se procul
 dubio 'drotinum' reperturum asserit. Quibus auditis, mirabantur omnes
 et dicebant ad inuicem: 'Quidnam hoc uult esse?' Porro dominus
 40 eius, fidem illius et uerba² considerans, seruitutis illum iugo absoluit et
 liberum omnimodo fecit. Potitus ergo libertate, continuo se beati Petri
 apostoli seruicio mancipauit et non discedebat de supradicta ecclesia
 eius, ieiuniis et obsecrationibus seruiens nocte ac die. Petebat autem
 et intende orabat ut deus omnipotens, sicut ei per uisum promissum
 45 fuerat, 'drotinum' suum ostendere dignaretur. Itaque exacto circiter
 anno et dimidio: dum in eadem ecclesia completis solitis precibus,

¹ MS. a.² MS. uerba.

tempore nocturno quiesceret, astat ei per uisum celestis illa et clara luce prefulgens persona quam in superioribus uisionibus uiderat, dicens: 'Surge, sequere me, et ostendam tibi ubi desiderium tuum implebitur.' Et ut sibi uidebatur, surgens sequebatur eum donec ueniret ad locum ubi beati martiris corpus sub pauimento quiescebat. Dicit ergo ei: 'Ecce, 5 hic quiescit amicus dei dilectus: dic itaque domino tuo Bruningo presbitero quia in isto loco inueniet eum.' Facto igitur mane, domino suo prefato nunciat que uidisset uel audisset. Hiis auditis, herebat ille stupens; tandem uero resumptis fidei et spei uiribus, intendit animo que dicebantur experiri. Acceptoque sarculo intrat ecclesiam, et facta 10 oratione cepit fodere in loco illo ubi predicto uiro fuerat demonstratum. Iamque vix semipedis spacio in altum foderat, cum ecce quoddam inibi reperit sepulchrum. Miratur et gaudet, totamque terram que superficiem illius obtexerat abradit et undique mundat, vt cunctis cernere uolentibus perspicuum esse potuisset. Audit ergo populus, accurrit uniuersus; pro- 15 palatur fama de reuelatione, probatur uera de tumuli inuentione; et quamuis lateret adhuc omnes quis ille esset, cuius meriti, uel quo nomine censeretur qui in eodem loco iaceret conditus, hoc tamen certum habebant quod ille uere dei amicus, uerus, iustus et sanctus esset, de quo tales et tante precessissent uisiones, et tam perspicua ueritate subsequente 20 claruissent. Quid multa? Remansit itaque sepulchrum per dies aliquot intectum cum ammiratione multorum ad uidendum diatim confluencium. Presbiter uenerabilis, animo estuans quid agat quo magis gloria dei et illius sancti uirtus enitesceret, tale quiddam diuino ut postea claruit instinctu, molitur. Erat in eadem urbe puella quedam Alfgiua nomine, 25 Abandonie nata, que neruis in poplite contractis a natiuitate, cogente penuria cubitis et genibus reptando potius quam incedendo uictum sibi cotidianum hostiatim mendicabat. Hanc ergo superueniente sabbato sancto pasche prefatus sacerdos, peractis in ecclesia diuinis obsequiis, in foro reptantem inuenit: eam ad domum suam adduxit, et appositis 30 alimentis refecit; deinde illam seorsum aduocat, instruit, hortatur et monet ut si uelit sanitate potiri, facta prius coram deo et sanctis eius de omnibus peccatis suis confessione, noctem instantem dominice resurrectionis in ecclesia coram sepulchro sancti uigilando et orando transigeret; peteret autem a deo et postularet, in fide nichil hesitans, ut eius deus 35 misere[re]tur et pro amore sancti illius qui in eodem tumulo conditus erat salutem ei largiretur, vt in eius sanitate cunctis innotesceret quam iustus et quam sanctus et quam uere deo dilectus existeret cuius in eodem loco sepulchrum monstrabatur. Hiis auditis, illa gracias agit, et cuncta que illam sacerdos [h]ortatus erat facere, deuotissime studuit adimplere. Igitur 40 ubi adueniente uespera tempus quietis appropinquauit, sacerdos cum clericis suis, clausis solito more hostiis ecclesie, propriis succedunt tectis, predicta puella interius iuxta sancti sepulchrum relicta. Que cum deo et precibus assiduus insisteret et a deo sanitatis gratiam, ut fuerat edocta, postularet. subito intempeste noctis silencio, deo miserante qui sanctos 45 suos mirificat, uidet illa totam ecclesiam celesti fulgore illustrari, columbam quoque niuei coloris per ecclesiam huc illucque uolitare et tandem in

baptisterium sese inmergere ac inde alacriter ad se properantem, tam ipsam quam martiris sepulchrum plausu alarum suarum illo rore aspergere. Tunc illa confestim exurgens erexit se et stetit, et consolidate sunt bases eius et plante, et ambulabat recte, quod eatenus a natiuitate non fecerat. Mirandis miranda succedunt. Duo ecclesie signa eminens infra ipsam ecclesiam pendencia, que adhuc hodieque ibidem dicuntur haberi, ita concorditer ad inuicem diuina uirtute sonabant quasi periti cuiu[s]libet manibus traherentur. Quorum intempestiuo sonitu perturbatus presbiter et sui clerici, perterritus etiam populus urbis, exiliunt stratis, accurrunt omnes, uidere cupientes quidnam fuerit quod acciderit¹. Iamque respicientes ad ecclesiam: uident per fenestras eam totam interius inflammari et celesti lumine uehementer illustrari. Tunc multo magis territi et obstupefacti, uelociter properant, currunt et irruunt, et sine mora foribus reseratis intro respiciunt. Vident itaque puellam quam ibi contractam reliquerant, iam erectam et sanam stantem, pellicem quoque illius iam ad poplices uix attingentem que duorum fere spacio pedum post illam trahi solebat dum adhuc solo tenus incurua reptare solita erat. Pauent ergo nimis et stupent uniuersi, tanta et tam insolita dei magnalia suis oculis cernentes, que nisi ipsi uidissent, ab aliis dicta uix credere potuissent; et inquirunt ab ea diligenter quemadmodum gestum sit. Quibus illa gaudens atque exultans omnem rei ordinem sicut superius scriptum est seriatim exponit. Gaudent igitur uniuersi et deum iunctis uocibus collaudant, quia ipse est potens in celo et in terra, quique solus facit mirabilia. Talibus igitur indiciis uenerabilis sacerdos uoti sui compos effectus: estuabat adhuc nimio desiderio cordis sanctum aperire sepulchrum et uidere thesaurum illum incomparabilem qui in eo clausus tenebatur. Sed sciens et recolens se esse peccatorem, et quia in multis offendimus omnes, non presumebat manum mittere in christum domini nisi prius faciem domini placasset. Indicit itaque triduanum populo ieiunium, quod et ipse cum presbiteris qui eum in opere illo adiuuare debebant, ceteris artius in pane et aqua obseruare curauit. Tandem expleto ieiunio sacerdos cum suis consacerdotibus sumpta maiore fiducia, et de dei presumens misericordia, accedit ad sarcophagum cum metu et reuerencia. Aderat autem et infinita turba debilium et infirmorum et diuerso genere languencium, quos² eo fama supradicti miraculi, et recuperande spes salutis, vndecunque perduxerat. Denique sepulchrum sancti aperitur, et martiris ueneranda ossa cernuntur; scriptura quoque iuxta posita inuenitur, que diceret ipsum esse Ragenarium sanctum martirem Christi; nepotem etiam sanctissimi regis et martiris Eadmundi fuisse, et ab eisdem persecutoribus a quibus ille passus est, pro Christi fide crudeliter occisum occubuisse. Aperto uero sacerdotum manibus sepulchro, mox tante uirtutis copia diuinitus super egrotos emanauit, ut omnes qui diuersis languoribus pregrauati conuenerant, astante populo sanarentur a quacunque detinebantur infirmitate. Que uidens clerus et populus, ingentem omnes tulerunt clamorem ad sydera; signa quoque pulsantur et sonant ethera; diuina declarantur magnalia, et in laudem

¹ MS. accederit.² MS. quod.

Christi uoces tonant per nubila. Edwardus rex ipse et regum iustissimus, tanta uirtutum celestium nouitate permotus, locum illum multipliciter honorauit, et diuersis oblationibus ditauit. Ita gaudente terra, resultante polo, fit cleri et plebis concursus maior, diuersa martiri offeruntur donaria, auri argentique necnon et aliarum specierum ingentes cumuli congeruntur; gestorum fama fines regni penetrat, et per totum corpus anglici orbis de noua inuentione martiris suauis odor Christi diffunditur. Denique non solum de locis ei contiguis, sed et de remotis Anglie partibus omni anno circa festum apostolorum Petri et Pauli languidi, moribundi et debiles innumeri carris impositi ad locum martiris adducebantur, et mox 10 sani atque incolumes reddebantur: Quia, largiente Christo, 'uirtus de illo exhibat, et sanabat omnes.' Aelfgiua quoque illa quam primitus ad tumbam sancti prediximus fuisse curatam, post aliquantum temporis robusta corpore et nobilis effecta est matrona: assumptoque religionis habitu in eodem loco uirgo permansit, in sancta conuersatione consenuit, et usque ad de- 15 crepitam etatem uixit. Tante uero sanctitatis et apud ipsas populares bone opinionis erat, ut etiam uulgo 'sancta nonna' uocaretur. Tandem ergo, iussu gloriosi regis, ex maxima illa oblationum copia factum est feretrum quoddam magnum et pulchrum ualde de auro et argento et lapidibus preciosis, in quo sacri martiris cum magna reuerencia diligenter 20 et honorifice reliquie collocatae sunt, Regnante domino nostro Iesu Christo cum patre et spiritu sancto, in secula seculorum, Amen. || Passus est autem sanctissimus deoque acceptus Eadmundus rex anno dominice incarnationis octinge[n]tesimo septuagesimo, quando etiam Ragenerius sanctus supradictus, nepos eius, martir Christi preciosus passus esse 25 conicitur. Septimo deinde anno Inguar persecutor eius, cum alio rege pagano occisus est. Porro Rex iustus Edwardus, cuius temporibus reuelatio facta est, obiit anno Christi millesimo sexagesimo sexto.

Explicet inuentio sancti Ragenerii militis et martiris.

FINIS.